









257  
CONTINVATIO  
EXERCITATIONIS PHILOSOPHICAE

DE  
**OBLIGATIONE**  
VTRIVSQUE SEXVS  
AD  
**MATRIMONIVM**  
IN GENERE

GERMANICE:

Hon der Verbindlichkeit zum Bestande  
ohne Absicht auf einzelne Personen.

OPAM  
METHODO NATVRALI  
ERVDITORVM IUDICIIS

OBSERVANTISSIME SVBIICIT  
**IOAN. GVILIELM LANGE**

LIPPSTADIENSIS.

PHIL. ET SS. THEOL. C. ET SOCIETATI LATINAEE,  
QVAE HENAE FLORET, ADSCRIPTVS.



HALAE MAGDER.  
LITTERIS HENDELIANIS.  
ANN. A SOTER. NAT. CCLOCXXXVI.

VIRO  
MAXIME REVERENDO  
AMPLISSIMO DOCTISSIMO QVE  
**H E N R I C O**  
**K R V G E R O**  
INSPECTORI ET PASTORI  
COETVS DEI QVI TEMPLINI EST  
EOQVE PERTINENTIVM ECCLESiarVM  
SPECTATISSIMO MERITISSIMO GRAVISSIMO  
FAVTORI SVO  
GRATISSIMA MENTE  
VENERANDO  
HASCE CONTINVATIONIS PAGINAS  
CONSECRATAS ESSE VOLVIT

AUCTOR  
IO. GVILIELM LANGE.



Lectori aequo aequo, ac benevolo,  
priscum feliciter.

**A**D sensus, quo quibusdam praestantibus viris meam levidensem Exercitationem philosophicam de obligatione utriusque sexus ad matrimonium in genere, in lucem nuperrime prolatam, excipere placuit, me, scriptas in hanc sententiam & omislas demonstrationes litteris exscribendas ut curarem, excitavit. Et quia in ista Exercitatione duas de obligatione ad matrimonium demonstrationes §. 66. & Schol. II. huius §. dedi, hunc etiam numerum in praesenti efficere atque tecum communicare volui observantissime. Praeterea haec continuatio pariter, atque Exercitatio commemorata, non nullis scripturae sanctioris effatis est ornata, praesertim quum rationis veritates cum divinis, ut in aliis rebus, ita etiam in hac optime consentire easque minime auctoritati sacrum litterarum, veneni instar, officere, qui-

A 2 bus-

busdam hominibus esse ante oculos ponendum  
putaverim, qui vocem naturae non esse vocem  
Dei, sed Diaboli, confidentius dicam, an impu-  
dentius, contendunt, quorum autem vocalis  
quid tribui possit, demonstrarunt Exc. HENRIC.  
KOEHLERVS in Exercit. Iur. Nat. §. CCCXXX. &  
qui eum sequutus, Cl. IOAN. FRID. RÜBEL im Recht  
der Natur §. CVI. CXXIV: qui rationis propo-  
sitiones, quia eas capere nequeunt, audire no-  
lunt atque verbis PAVLLI II. Cor. X. V. & Coloss.  
II. VIII: *videte, ne quis sit, qui vos praedetur per*  
*philosophiam & quae sunt reliqua libenter & ne-*  
*sicio, qua auctoritate, abutuntur: de quibus lo-*  
*cis legi possunt* S.V. IO. GVSTAV. REINBECKII Praef.  
Tom. II. der Betracht. über die Augsp. Confess.  
§. XXXVII. & oratio sacra: die von dem König-  
schen unter den Gehorsam des Glaubens gefan-  
gen genommene Vernunft, utpote qui meliora &  
saniora docuit. Hanc ob causam Scholia ad-  
ieci, quibus effata Scripturae a veritatibus de-  
monstrationum separari possunt atque ita affir-  
mare mihi posse videor, me neque in alienam  
messem transire, neque philosophicas proposi-  
tiones cum sacris, quippe quae hic consensum  
tantummodo confirmant, commiscere ac con-  
fundere. Ceterum litterae Exerc. te ad Exer-  
citionem remittunt, cuius continuationem  
tuo iudicio iam iam subiicere animus est. Vale.  
Dab. in Acad. FRIDERICIANA d. XVIII. Sept. anni  
∞ LOCCXXXVI.

§. I.





§. I.

**N**exus est illa rerum ad se invicem relatio, vi cuius unum continet rationem alterius. Atque ea, quorum alterum in altero habet rationem, dicuntur *connexa*.

§. II.

Finis obtineri nequit, nisi media adsint §. 10. Schol. Exere. Neque etiam singi & excogitari potest ratio, si medium existit, cur illud adsit, nisi finis obtainendus adsit. Ergo ex mediis rationem finis & ex fine rationem mediorum, cur nimurum adsint, intelligimus. Ergo finis & media sunt connexa §. 1.

§. III.

Finis & media pro connexis sunt habenda §. 2. eumque, si ab his discesseris, consequi non possumus §. 10. Schol. Exere. Ergo quicunque ad finem obtainendum obligatur, is quoque obligatur, ut media finis adhibeat.

§. IV.

Scientia finem eligendi & remedia, quibus obtineri potest, dicatur *sapientia*. Qui autem hac scientia praeditus est, *sapiens* vocetur. Conf. RÜBEL. l.c. §. CCLXVIII. & Cl. FRIDER. CHRISTIAN. BAVMEISTERI philosoph. definitiva def. loccccxxii.

§. V.

Sapiens igitur non finem modo, verum etiam media & non media solum, sed & finem eligit §. 4. Ergo nexus, qui inter finem & medium effunditur §. 2, observat quam diligentissime. Hanc ob causam eiusmodi scientia, quae nexus, qui est inter finem & medium, observari iubet, etiam *sapientia* vocari potest & debet. Is e contrario *insipientia* laborat, qui hac destitutus est scientia & hoc modo hunc nexus neglit.

A. 3

§. VI.

6 CONTIN. EXERCITATIONIS PHILOSOPHICAE

---

§. VI.

Nisi Summum Numen omnia, quae fieri possunt, sibi representaret & quam distinctissime videret, ad venerandas perfectiones eique tribuendas aliquid posset accedere. Perfectiōnum autem accessiones quum admittere omnino nequeat idea Summi Entis §. 1. Exerc., etiam omnia, quae fieri & esse possunt, sibi quam distinctissime representet Deus necessum esse, dubitari nequit.

§. VII.

Quicunque omnia, quae fieri & existere possunt, sibi representare potest distinctissime, ei facultas, omnes fines mediaque omnia distinctissime perspiciendi, denegari nequit. Ergo Summum Numen facultate omnes fines mediaque omnia finium distinctissime cognoscendi gaudere, palam est §. 6. Quicunque hac abundat facultate, ei tribuenda est summa omnię ex parte perfecta sapientia §. 4. Ergo Sanctissimum Numen absolutissimam habere sapientiam, satis luculenter appetet.

§. VIII.

Qui perfectionibus Dei adversatur & earum praestantiam numquam non appetendam imitatione, quantum fieri potest, consequi haud studet, ille contra honorem & cultum nititur enimque Deo nequaquam praestat §. 2. Exerc. Ergo peccatum facit §. 25. 12. Exerc. Quod autem quum vi obligationis nostrae abominari nos oporteat §. 27. Exerc., sequitur, ut vi obligationis, quam ex lege Dei intelligimus §. 21. Exerc., perfectiōibus maximi Entis adversi esse nequeamus, sed potius ad perfectiones eius actiones nostras accommodare nos oporteat.

Schol. Idem docent sapientissimi Servatoris verba: *Estote vos perfecti, ut pater vester, qui est in coelis, perfectus est Matth. V. XLVII.* Nemo dici potest perfectus, nisi solum bonum appetat & ab imperfectione opposita remotus sit. His autem qualitatibus ornatus vocatur *sanc̄tus*. Ergo idem sonant verba P. E. TRI I. Ep. I. XVI. *Sancti estote: nam ego sanctus sum.* Add. Le-

vit.



vit. XI. XLIV. cap. XIX. II. Neque etiam ab hac sententia deflectunt veteres inque alia discedunt, sed potius eam ad sensu singulari confirmant. Sic PLATO Lib. IV. de legibus: *Quum Deus, inquit, rerum omnium nolis sit mensura maxima: igitur Deo qui grotus fieri vult, debet in id incumbere, quantum fieri potest, ut se ad illius similitudinem conformer.* SENECA de Benef. Lib. VII.c. XXXI. exclamat: *Imitemur Deos!* MARC. ANTON. Imperator L. II. f. V. *Deo similis vita vivenda & L. V. f. XXVII. Vivendum est cum Diis.* Atque AVGVSTINVS de Civit. Dei Lib. IX. XVII. *Religionis summa est, inquit, imitari, quem colis.* Hanc ob caussam non habent multi, quod damnandam putent eximiam naturae propositionem: Ea tibi sunt facienda, quae statum tuum, nimirum ex toto, non ex parte, consideratum, perficiunt: eaque tibi sunt declinanda, quibus imperfectionem & quasi vulnus accipere potest. Conf. S. V. REINBECKIUS l.c. cap. XXI. §. XV.

## §. IX.

In numero perfectionum, quibus Deus est conspicuus, ponitur sapientia §. 7. Ne igitur sapientiae Dei adversi simus, sed potius illam actionibus asequi studeamus, lege Dei obligamur §. 8.

## §. X.

Summum Numen dedit hominibus medium, quo sobolem possunt in lucem edere §. 35. 36. Exerc. Sapiens autem nexum, qui inter finem & medium deprehenditur §. 2, observari vult §. 5. Ergo Deus pro absoluta, qua fulget §. 7., sapientia non potest non velle, ut hoc medio utantur homines finique obtinendo operam dent.

## §. XI.

Hocce, de quo in §. 10. feci mentionem, medio in praesenti homines praediti sunt atque instructi. Ergo etiam sapientiae Dei conveniens est, ut in praesenti finem obtineri velit §. 10.

## §. XII.

Ergo qui hoc medio, ut sobolem in lucem edat, & in praesenti, utitur, is sapientiae Dei convenienter vivit §. 10. 11.

## §. XIII.

## §. XIII.

Ergo qui hoc medio non utuntur, etiam in praesenti, ut finem, cuius rationem exhibet, attingant, illos sapientiae Dei adversari, veritas clarius luce est §. 10. 11. 12.

## §. XIV.

Ergo isti, qui Pontifici Romano obsequuntur, minus recte rationis rationes subducunt, quippe qui *liberos procreare, idem esse, ac carni inservire libentius*, quam verius defendunt contrariaque sententiam tamquam falsissimam repudiandam confundandamque censem. Conf. 10. BENEDICT. CARPOVII *Ithagog. in libros Eccles. Luther. Symbolicos Sect. III. ad P II. Abus. II. pag. Ixcvi.* Eandem opinionem APOSTOLICOS habuisse, docet D. IOACH. HILDEBRANDVS, qui insigni antiquitatem peritia sibi posteritatis venerationem comparavit, *in libello de Nuptiis veterum Christianorum pag. V.* Concedatur autem, liberis operam dare, idem esse, atque carni facere satis. Ergo carni servire, idem est, ac sapientiae Dei convenienter vivere §. 10. 11.

12. Carni vera inservire est peccatum committere. Ergo sapientiae Dei convenienter vivere est peccatum admittere. Ergo liberis operam dare esse carni servire, qui contendunt, isti etiam defendunt, sapientiae Dei convenienter vivere, esse peccatum facere. Quod si autem haec opinio veritati non officit, nihil est, quod ei adversari magnopere possit §. 9.

## §. XV.

Optimus omnium rerum conditor hanc solum ob caussam hoc medium produxit, ut plures essent homines §. 34.. 38. *Exerc.*, sine quibus finis esse nequit ultimus §. 14. *Exerc.*

## §. XVI.

Ergo qui illud aliter, ac ad sobolem producendam, adhibere solent, isti sapientiae Dei sunt adversi §. 13. 15.

## §. XVII.

Ergo qui illo hand aliter, ac sobolis suscipienda gratia, utitur, is sapientiae Dei congruenter convenienterque vivit §. 12. 13. 15. 16.

## §. XVIII.

## §. XVIII.

Qui medium sobolis non adhibent, ut finem, cuius est medium, obtineant, isti sapientiae Dei sunt contrarii §. 13. E contrario qui illo hanc ob rationem utuntur, isti sapientiae Dei convenienter vivunt §. 12. Omnes autem omnino homines sapientiae summae Summi Numinis ne adversi sint, lege Dei obligantur §. 9. Ergo medio sobolis, & quidem in praesenti quoque, ut illos oportet, ut finis, nimirum soboles, in lucem proveniat §. 16. 17.

## §. XIX.

Homines, ne sapientiae Dei adversi sint, sed illi convenienter vivant, medio sobolis, & quidem in praesenti, uti oportet, ut soboles in lucem proveniat §. 18. Hinc quia eam ob caussam Dei us matrimonium instituit §. 56. Exerc. atque unica societas est, in qua socii liberis voluntate operam dare solent §. 55. Exerc., sequitur, *homines, etiam in praesenti, lege Dei ad ineundum matrimonium obligari.*

## §. XX.

Hominum finis est, ut faciant, quibus Dei finis obtineri potest ultimus §. 21. Exerc. Quicunque ad aliquem finem obtinendum obligatur, is etiam ad capienda obligatur media §. 3. Ergo homines obligantur, ut media huius finis adhibeant. Media finis Dei, etiam in praesenti, sunt homines §. 14. Exerc. Ergo homines obligantur, ut si fieri potest, liberos, etiam in praesenti, in lucem edant. Atqui in eo matrimonii finis ponitur §. 44. Exerc. inque hac societate iste finis rite obtinetur §. 55. Exerc. Ergo homines ad contrahendum coniugium, etiam in praesenti, obligantur.

## §. XXI.

Proinde quum demonstrata §. 19. & 20. veritas non solum non in dubium vocari possit, sed & in numerum veritatum lucem meridianam clariorum adscribi debeat, denuo appareat, quid de matrimonii vituperatoribus, quorum opiniones sine indignatione

B tione

IO CONTIN. EXERCITATIONIS PHILOSOPHICAE

tione legi nequeunt, sit iudicandum, de quibus autem in praesentia non valde labore. Addi autem istis matrimonii contemtoribus a me in §. 57. Exerc. commemoratis possunt SATVRNIA-  
NI, MARCIONITAE, MANICHAEI, ENCRATITAE,  
VALESII, APOSTOLICI, ADAMITAE, PRISCILLIA-  
NISTAE, MISANTROPI, de quibus eruditissime egit lau-  
datus HILDEBRANDVS in libello cit. pag. IV. sq. Deinde ESSE-  
NI, quippe qui non modo a nuptiis, verum a mulierum etiam  
consuetudine abhorrebant, ut ex IOSEPHO, PLINIO, PORPHY-  
RIO, EVSEBIO ac SOLINO attulit SELDENVS de Iur. Nat. &  
Gent. iuxta Disciplin. Ebr. Lib. V. cap. III. pag. 13LXX. sq.

§. XXII.

Isti, qui vitam caelibem vivunt, instinctu naturali haud utun-  
tur, ut finem per naturam a Deo praeceptum consequantur  
§. 62. 35. Exerc. Ergo sapientiae Dei non faciunt satis, sed illi  
sunt contrarii §. 12. 13. Quia autem hominum actiones cum  
ea consentire debent §. 9. & hac in re §. 18., sequitur, ut illos a  
caelibatu abstinere oporteat.

Schol. I. Huc quia venio, non esse arbitror, quod certis ite-  
rum hanc demonstrationem terminis circumscribam, quum sa-  
tis multa hac de re & plura forsan, quam necesse fuit, dixerim.  
§. 63. 64. Exerc. Non enim ignoro, esse Eunuchos, qui se ipsos  
castrarunt propter regnum coelorum Matth. XIX. XII., sub qui-  
bus autem verbis alia subiicienda est sententia, atque ei subiecit  
ORIGENES §. 39. Exerc. Conf. HILDEBRANDI libellus cit. pag.  
V. Signant Eunuchos spiritu, vel, ut verbis HILDEBRANDI, quae  
in Antiquit. ex universa Scriptura S. selectis sub voce Eunuchi  
pag LXXVII. reperiuntur, utar, improprie dictos, penes quos vo-  
luntas libidinem in ordinem redagit, ita, ut, quamvis generandis fa-  
cultatem habeant, nihilominus studio perfectionis virae, Schol. §.  
63. Exerc., contineant. Propter necessitatem, sive alia mala,  
quae sunt gravissima declinare ut possit, saepissime etiam viro ho-  
num est, mulierem non attringere & versa vice I. Cor. VII. com. I.

XXVI.



DE OBLIGATIONE AD MATRIMONIVM. K

XXVI., dumne instinctum naturalem & proclivitatem sexuum inter se, sive pruritum, quam notionem tradit DANIEL FRIDER. HOHEISEL in Schediasm. de incestu §. IV., istum, quo omnis generis animalia ad congressum cum altero sexu feruntur, recto modo cohibere nesciat atque coercere, quia multi, qui caelibatum collunt, in ORIGENIS adsectorum vestigia incurront, de quibus narrat EPIPHANIVS, eos nuptias intermittere, lasciviam non item. Vid. HILDEBRANDI Antiquit. cit. l.c. Qui enim, etiamsi necessitas aliqua aliqua ex parte illud prohibeat, se non continent, matrimonium contrahant: nam melius est matrimonium contrahere, quam muri I. Cor. VII. com. IX.

Schol. II. Qui autem conclusum ex verbis Schol. I. conflaret veritati huius §. contrarium, is sane aequa, ac ARCVARIUS, qui teste politissimo GOTTL. GERH. TITIO in diff. de polygamia, incestu & divorcio iure naturali probibitis cap. I. §. L. LI. ex ipsis verbis polygamiam simultaneam demonstrare ausus est, a recta via discederet, quia mihi cum hominibus in genere res est, minime vero cum his, sive illis, quibus datum est, ut hoc verbum capere possim Matth. XIX. com. XI. atque donum extraordinarium, particulare, prout vocatur a CARPZOVIO l.c. pag. I. cxv., seu proprium ex Deo habent I. Cor. VII. VII. XVII.

Schol. III. Et sic etiam demonstrata propositio cum arguento quorundam Theologorum stare potest, quo doctrinam romanam, quae matrimonium in numero Sacramentorum ponendum iudicat, haud aliter, ac veritas postulat, oppugnare solent, atque, ut illud verbis Exc. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII in diff. de nullitate sacramenti in matrimonio. n. VI. pag. V. proponat, ita sonat: *Ad matrimonium non obligantur omnes Christiani, ut ad baptismum & sacram coenam.* Ergo non est sacramentum novi testamenti: licet hocce argumentum non ita planum esse, ingenue fatear, ut planius postulari nequeat.

§. XXIII.

Quicunque medium sibi procreandae aliter, atque ad eam



## 12 CONTIN. EXERCITATIONIS PHILOSOPHICAE

procreandam adhibet, iste sapientiae Dei est adversus §. 16. Ergo coniuges matrimonii libidinosi, quatenus est libidinosum, sapientiae Dei sunt adversi §. 70. Exerc. Hinc quia lege Dei obligamur, ut hunc dissensum fugiamus tam cupidissime, quam diligentissime & quantum viribus fieri potest humanis §. 9. 18., etiam obligamur, ut a coniugio libidinoso, qua tali, aborreamus.

Schol. Nonnulli hic contrariam amplectuntur sententiam eamque verbis PAVLLI I. Cor. VII. com. II. IX., ut ex illis probari posse existimant, ita munire student, qui autem, meo quidem arbitratu, studium operamque perdunt omnia. Attendamus quoefo ad sensum verborum PAVLLI, quibus Corinthiorum litteris responderet, utrum nempe instantem necessitatem negligere atque matrimonium contrahere possint, nec ne? Bonum, respectu imminentis necessitatis, est, inquit, viro mulierem non attingere, hoc est, in matrimonium ire. Sed propter fornicationes suam quisque uxorem habeat & proprium quaeque virum habeat, hoc est, vir foeminam sibi nuptiis adiungat & versa vice: id quod docent verba com. IX: Quod si se non continent, matrimonium contrahant. Num autem ex his propositio potest effici: Ergo coniugium libidinosum inire, sive in matrimonio libidini execranda satisfacere licet? Nequaquam. Docet quidem PAVLLVS, ineundum illis esse matrimonium propter virandam, ut cum CHRIST. THOMASIO loquar, scortationem, non autem, ut communiter, se non verbis, sicut in praxi explicant, propter scortationem committendam. Vid. eius Fundamenta Iuris Nat. & Gent. Lib. III. cap. II. §. VIII. Etenim propter fornicationes & alia impunitatis genera matrimonium contrahi vult sanctissimus PAVLLVS. Scortatores, scorta & alii homines libidini servientes medio sobolis abutuntur, legi, fini, sapientiae Dei sunt adversi §. 38. Exerc. 16. Curigitur hic suadet matrimonium? Non alia adferri & ex hoc loco conflari potest ratio, quam quia in matrimonio haec declinare possint Corinthienses. Matrimonium autem libidinosum eam ob causam est libidinosum, quia haec in eo

eo reperiuntur. Ergo PAULLVS huic matrimonio, quatenus tali, favere nequit. Illud igitur non solum non his verbis confirmari, sed etiam infirmari posse, rem esse minime obscuram, omnes iam intelligunt.

#### §. XXIV.

Ex §§. 21. 38. 73. 74. Exerc. & §§. 16. 17. 9. 23. & Schol. huius §. dijudicanda & revocanda est ad veritatem quaestio: num cum marita gravida concubere possit maritus? S.R. IO. GEORG. WALCHIVS in Lexic. philos. p. I. CXXIX. sententiam affirmantem, Celeb. CHRISTIAN. WOLFIVS autem negantem defendit in den vernünftigen Gedanken von dem Gesellschaftlichen Leben cap. II. §. XXIII. Priorem sententiam olim quoque habuit THOMASIVS, ut videre est ex §§. CCL. CCLI. cap. II. Lib. III. Iurisp. Div., quam vero in Fundamentis cit. mutavit.

#### §. XXV.

Matrimonium inire homines obligantur §. 66. & Schol. II. huius §. Exerc. §. 19. 20. Hoc vero est vel castum, vel libidinosum illudque huic opponitur & versa vice §. 69. 70. Exerc. Ergo homines sive ad castum, aut ad libidinosum obligantur, aut perinde est, hocne, an illud, appetant, modo matrimonium existat. At matrimonium libidinosum est detestandum §. 73. Exerc. & §. 23. Ergo ad matrimonium castum homines obligantur.

#### §. XXVI.

Veritas §. 74. Exerc. & praeced. §. etiam hoc modo potest demonstrari: Quodcumque matrimonium eiusmodi coniuges a- lit, qui instinctu naturali ad sobolem duntaxat utuntur, illud sa- pientiae Dei est consentaneum §. 17. Ergo matrimonium ca- stum sapientiae Dei est congruens §. 69. 70. Exerc. Quodcum- que coniugium sapientiae Dei est accommodatum, illud, quis matrimonium omnes appetere debent §. 66. & Schol. II. Exerc. & §. 19. 20., ut appetant, obligantur §. 8. 9. Atqui matrimo- nium castum sapientiae summi Numinis conveniens est per Syl- log. praec. Ergo homines ad matrimonium castum obligantur.

B 3

Schol.



14 CONTIN. EXERCITATIONIS PHILOSOPHICAE

Schol. Ne autem cuidam huic veritati divinioris scripturae suffragium deesse videatur, illud paucis componere & compo-  
situm apponere non abs re erit alienum. Primum istud ex de-  
monstratione in Schol. § 23. confecta planum esse, eo minus a  
veritatis amatore potest in dubium vocari, quo magis ita ratio-  
cinari nobis licebit: Matrimonium est vel libidinosum, vel ca-  
stum. Tertium proferri inequit, quippe quod aliqui & castum  
& libidinosum simul esset atque hac ratione cum principio con-  
tradictionis pugnaret. Atqui coniugium, in quo socii praeter  
finem libidini sunt obsequentes, reiecit divinus PAVLLVS Schol.  
§. 23. Ergo ut coniugium inirent castum voluit. Idem illud  
deinde verbis I. Cor. VII. com. XXXIX. potest comprobari:  
*Foemina mortuo viro & sic mortua coniugali societate libera est  
ad, cui velit, nubendum, modo in domino nubat.* Quid quae so-  
nant verba: *in domino nubere?* *In domino nubere* est ex motivo  
perfectionum Dei matrimonium appetere. Quia igitur homi-  
nes, qui castum coniugium ingrediuntur, fini, legi, sapientiae  
Dei obedient & sic perfectionum Summi Numinis rationem ha-  
bent, sequitur, eos in domino hanc amplecti societatem. Num  
autem de sociis libidinosi matrimonii potest praedicari, eos con-  
iugium in domino eligere, utpote qui legi, fini, sapientiae Sum-  
mi entis contraria edunt atque perfectionum Dei nullam ratio-  
nem ducunt? Absit, ut reicienda statuamus & quibus gloria  
altissimi Numinis potest obscurari, simus defensores!

§. XXVII.

Quae de matrimonio virgineo notanda sunt atque tenenda,  
ne cum casto confundatur, exhibent Scholia §. 70. Exerc., quae  
etiam negant, illud iustis rerum censoribus, ut matrimonium,  
probari posse, de qua autem re aliter HILDEBRANDI sententia  
est *in libello cit. pag. CX.* proposita, cui vero non tantam esse vim  
tribuendam duco, ut ei album, quod aiunt, calculum denegare  
nequeamus. Argumentum viri celeberrimi, quo eiusmodi con-  
iugia, quorum nonnulla enarravit *pag. CVIII. sq.*, defendit, ita  
se

se habet: *Vera inter hos, abstinentes licet coniuges, matrimonia fuerunt: neque enim concubitus matrimonium facit, sed consensus.* Verum in quo sensu haec propositio sit accipienda, non ponebat vir insignis, cuius omnino hac in re habenda est ratio. Concubitus quidem non efficit coniugium, sed consensus, sive pactum, quippe quod in acceptatione consensus consistit, & quidem compositum, quod autem procreandam sobolem continet. Alioqui multa essent vera, quae ex adducta propositione peti possunt nullaque veritate nituntur. E.g. Concedatur contrarium, num maritus a foemina & foemina a marito debiti coniugalis postulandi facultate gaudet? Maritus enim foeminae & versi vice opponere potest: concubitus matrimonium non facit, sed consensus. Ergo debitum coniugale non est debitum. Ergo verba PAVLLI probari nequeunt: *Lxori vir debitam benevolentiam reddat: similiter autem & uxor viro I. Cor. VII. com. III.* Ergo diuertia hanc ob caussam sunt nulla, & quae sunt reliqua.

### §. XXVIII.

Licet autem gravissimae ad sint rationes moventes, quibus a matrimonio libidinoso avocantur atque ad castum perducuntur homines: neminem tamen dubitaturum confido, quin libidinosum coniugium matrimonium vocari debeat, quippe de quo definitio matrimonii §. 44. 69. 70. Exerc. dici potest. Neque mihi est, quod aequa hanc definitionem, ac III. THOMASIUS, qui datam in *Iurisp. Divin. Lib. III. cap II. f. LXXXI. CCXLVIII.* exiguis postea cancellis circumscriptis in *Fundament. cit. l.c. f. XI. XII.* immutandam arbitrer, dum mihi imperare nequeo, ut curas posteriores viri immortalis hac in re meliores esse praefantioresque prioribus statuam. Sit societas nuptialis, sive matrimonium, *societas, quae honeste & decore generandae sobolis gratia initur*, tum vero multa matrimonia pro iis minime sunt habenda. Quam ob caussam definitio, utpote quae angustior est, ut Logici loquuntur, definitio, probari nequit. Ratio etiam, quam

16. CONTIN. EXERC. DE OBLIGAT. AD MATRIMON.

quam ill. vir in *Fundamentis cir. l. c. §. VIII.* in medium protulit, non tanti esse videtur, ut eius causa vadimonium esse deservendum existimem. Paucis eam attingere & rite componere iuvabit. *Soboles etiō generari potest in concubitu libidinoso, in honesto & indecoro.* Ergo ineundum est matrimonium non propter generationem sobolis simpliciter, sed propter generationem sobolis honestam & decoram. Ergo generatio sobolis simpliciter finis coniugii esse nequit. *A fine autem matrimonii essentia dependet §. LX. Iurisp. Div. l.c. & §. 47. Exerc.* Ergo in generatione sobolis simpliciter essentia matrimonii poni nequit. Legitima vero definitio essentialia rei exhibere debet. Ergo prima matrimonii definitio, quam & ego defendo §. 44. *Exerc.*, non recte essentialia tradit, praesertim quum ista de concubitu libidinoso dici possit. Sed salva res est. Istam, quam dedi §. 44. *Exerc.*, definitionem de concubitu libidinoso dici posse eamque deinceps praeceptis logicis, quae definitionem latiorem definitio reiicere solent, aduersari, multa nego affirmatione. Soboles enim suscipienda finem matrimonii exhibet. Num autem iste finis in concubitu libidinoso potest deprehendi? Provenire quidem ex concubitu libidinoso potest soboles, num autem est res, cuius gratia istum suscipiunt? Quia autem ex fine societatis essentia est dijudicanda, sequitur, societatem, cuius socii concubitu libidinosum alunt, plane alism essentialiam, atque matrimonium, habere. Hanc ob causam non habeo, quod ob concubitum libidinosum matrimonii definitionem corrigam atque ad posteriorem THOMASII notionem componam, quippe quae de matrimonio casto solummodo dici potest.

TANTVM!







Fe 1574°


VDI 8

ULB Halle  
007 779 631

3







CONTINVATIO  
EXERCITATIONIS PHILOSOPHICÆ  
DE  
**OBLIGATIONE**  
VTRIVSQVE SEXVS  
AD  
**MATRIMONIVM**  
IN GENERE

GERMANICE:

Von der Verbindlichkeit zum Ebestande  
ohne Absicht auf einzelne Personen.

QVAM  
METHODO NATVRALI  
ERVDITORVM IUDICIIS  
OBSERVANTISSIME SVBIICIT  
**IOAN. GVILIELM LANGE**  
LIPPSTADIENSIS.  
PHIL. ET SS. THEOL. C. ET SOCIETATI LATINAЕ,  
QVAE IENAE FLORET, ADSCRIPTVS.



HALAE MAGDER.  
LITTERIS HENDELIANIS.  
ANN. A SOTER. NAT. 1736.

